





4104. 18  
DE  
D A M N I S  
EX

NIMIA AEDIFICIORVM ALTITVDINE

M E T V E N D I S

C O M M E N T A T I O P R I M A

Q V A M

P R A E S I D E

I O A N N E D A N I E L E T I T I O

P H Y S . P R O F . O R D I N A R .

D I E   X X X .   A V G V S T I .   M D C C L X X I

P R O P O N I T

A V C T O R E T R E S P O N D E N S

M . A V G V S T V S SIEGISMVNDVS KRAVSE

S S . T H E O L . C V L T .

---

V I T E M B E R G A E

L I T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I I

A C A D E M I A E A T Y P I S .

D A M N I S

NUNCA ADIHCIONARE ALTISSIMA

MUTATIONIBUS

AMINTIA TOTATRIMMIS

ALIAS DABER

IN ANNE DABER TITIO

ANNO DOMINI MDCCXII AGUSTA

PROTOMATE

PROTOMATE

AGUSTA SIEGELWANDAS KRAUSE

AGUSTA CAFE

AGUSTA

AGUSTA



**A**edificia in altum surgentia oculis aspectum praebere amoenissimum, et vrbes eiusmodi aedificiis ornatas magnam hominum multitudinem capere, decoremque insignem afferre, quis est, qui neget? Tescem satis probatum invocamus Vitruvium de Architectura Lib. cap. VIII. Romam antiquam ita pulchre describentem: *In ea autem maiestate orbis et ciuium infinita frequentia innumerabiles habitationes opus fuit explicare.* Ergo cum recipere non posset area plana tantam multitudinem ad habitandum in urbe, ad auxilium altitudinis res ipsa coegerit deuenire. Itaque pilis lapideis, structuris testaceis, parietibus coementitiis altitudines exstructas contiguationibus crebris coaxatae et coenaculorum ad summas utilitates perficiunt, et despectationes.

Et nos quoque aedium prae caeteris altarum praestantiam non prorsus denegare aperte faremur, quam in primis iis aedificiis, vbi ad veterum consuetudinem fere communem, recta compluuiata aut testudinata sint, facile concedimus; nostra e contrario peccimata et in angustum surgentia, Lententia Lipsii in admirandis Lib. III, 4. aliquid de dignitate minuant, sed et capacitatem tollunt. Quam sententiam ambabus, ut in prouerbio est, manibus arripimus, probaturi in prima differentiatione ex caussis physicis et politicis, sive oeconomicis, et in secunda ex veterum recentiorumque monumentis incommoda ex altitudine nimia aedium emergentia.



## §. I.

Aedificium est opus ex materia ad habitationem extrellum, quod multis variisque nominibus ornatur. Dicitur enim, sensu tamen diverso,<sup>a)</sup> domus, habitaculum, domicilium, aedes, quae quidem vox est nomen generale, secundum eruditorum multos, spatium quatuor parietibus determinatum, designans, igiturque templum ad cultum diuinum destinatarum, hoc tamen discrimine subtili, ut non omnes aedes tempora sacra, ac ne aedes quidem Vestae templum habita fuerit, vti Gellius in Noet. att. Lib. XIV. Cap. VII. refert. Vox quidem aedis in numero singulari templum significare, omnes fere auctiores probant, at contrarium tamen Currius testari videtur Lib. VIII. c. 6. S. 3. et 13. Stabant ad fines aedis eius, in quo rex vescebatur. Nos vtimur his vocibus cunctis sensu vfitiori, qui vbiique receptus est. Si vero de aedificiis quaedam differere conamus, relinquendo modum structurae, regionis locique naturam<sup>b)</sup> architectis, solum de altitudine, et quidem ea, quae impediendo lumen, folisque radios, intercipiendo aerem, tempestaribus terraque motibus exposita, in incendiis et obsecutionibus, nocet magis, quam commodum incolis praefat.

## §. II.

Merito discrimen publica inter et privata aedificia, auctore laudato, constituentes, distinguimus publica, quorum quaedam sunt defensionis, nempe muri, turres, ad hostes imperum facientes repellendos, excogitata; quaedam religionis, tempora scilicet, quibus palatia Regum et Principum, tanquam Deorum terrestrium non sine ratione adnumerari possunt; quaedam opportunitatis, armamentaria videlicet, officinae rei frumentariae

a) Alio sensu oīos sumitur in Xenoph. Oecon. Cap. I. §. 5. Οīos δὲ τὸ δοκεῖν καὶ εἶναι; οīoπερ οīοια. ἡ καὶ οīα τὸ εἶο τὸς οīοιας τεκτυτό, πάντα τὸ οīοια ταῦτα εἰσι; Εἰσοῦντες ἐν τῷ Καριόβουλος δουέι, καὶ εἰ μηδὲ τὸ τοῦ αὐτῆς πόδες εἴναι τῷ κατεπίποντι πάντα τὸ οīοια εἶναι, ὅπα τοις κατεπίποντος. Quid vero nobis videatur domus esse? habitaculum santonum, an etiam quidquid extra domum aliquis possit esse? Omnia haec sub voce domus (οīοιοιο) intelligi, mibi, aīs

Critobulus, videntur; etiam si non in eadem urbe, qua possessor, sint, tamen ad domus pertinent omnia, quaecunque possident.

b) De natura loci Vitruvius Lib. I. cap. III. Primum elecio loci saluberrimi. Is autem erit excelsus, et non nebulosus, non pruinosus, regionesque caeli spectans, neque aeftuosas, neque frigidas, sed temperatas.

riae, et reliqua ad usum publicum destinata, quibus omnibus prae pri-  
uatis maiorem ratione altitudinis gradum largimur; dummodo ratio  
habeatur firmitatis, utilitatis et venustatis. In primatis exstruendis  
aedibus iure distinguitur domus rustica, quae magis fructibus frugi-  
busque inservire debet, nulla ferme habita decoris ratione, ab aedi-  
ficiis Nobilium aut urbis, quibus speciem egregiam atque formam ele-  
gantem prae se ferentibus, respectu altitudinis aliquid concedendum  
esse in aprico est.

### §. III.

*Incommoda ex nimia aedificiorum altitudine.*

Domus ergo,

*qua nihil in terris complectitur altius aer. CLAVDIANVS.*

quaeque non superficiem tantum soli occupat, sed longe in aere altissime  
ascendit, habitibus multa incommoda atque damna, quae ne uitari  
quidem possunt, affert, partim ex caussis physicis cognoscenda, quo merito  
obscuratio loci, impeditio aeris, corpori fano accommodari, ruina a  
tempestatibus et terrae motibus, et clades a fulgere nata referunt, par-  
tim ex politicis aut oeconomicis in incendiis, in urbius obsidione et  
in opum effusione obseruanda.

### §. IV.

*Luminis impeditio.*

Ad damnum primum merito pertinet *obscuratio loci* per impedimen-  
tum radiorum solis; solis scilicet, qui nobis aspectum amoenissi-  
mum et elegantissimum, nec non maxima commoda, quae enumerari  
non possunt, singulis anni temporibus exhibet; quibus emolumentis  
a sole eiusque calore expectandis, gentes in primis orientales prisca tem-  
poribus ad adorandum corpus caeleste pergrande perduetae sunt. Aedi-  
ficia alta urbis contigua, ita, ut totam aream includant, solis lucem non  
possunt non impedit, quo magna evadunt dampna, utilitatibus praec-  
elusis. Amissa solis luce, amittitur corporis sanitas; impeditis radiis,  
impeditur oculorum acies in subtilioribus artificiis efficiendis maxime  
necessaria, sublato sole tollitur calor, ineunte vere et austro exente,  
nobis igne in fornace vrente longe vilior. Fructus enim arboris sole  
calefactus atque nutritus, colore, magnitudine, et gusto fructum ignis



vi extortum antecellit: Sic homo in hypocausto, ab radiis illustrato solaribus, versans, multa commoda praे alii in obscurlo degenibus, ratione vigoris, alacritatis, verbo sanitatis, percipit.

### §. V.

#### *Aeris interceptio.*

Alterum vitium ex antecedenti immediate et necessario ortum trahens, maiora incommoda, sanitati maxime contraria, parit, *interceptio* nempe aeris, quam altitudo aedificiorum contiguorum et in circulo quasi ambientium secum fert, corpori sano, ut noceat, necesse est. Nil valetudine prospera gratus, nil vero corpori nostro aeris interceptione magis noxiun. Aer quam maxime nobis conductus moderate calidus, purus et ventilatus. Nam nisi moueat, putreficit. Aer quam maximam utilitatem praefat moderate frigidus robustis praecipue et viuacibus, in regionibus septentrionalibus, secundum Vossium de Orig. et Progr. Idololatri. Lib. III. Cap. XVIII. *idque quia frigore aeris sic calor constringatur nativus, et non dissipetur.* Sed in domibus urbis nimis altioribus aer est neque moderate calidus, neque moderate frigidus, plerisque vero impurus, putrefactus, vaporibus nocuis infectus. Quod ipsi incolae urbis exemplo suo tempore veris aestatisque saepissime prædia, villas et amoenos hortos visitando, sanitatis ergo, clare demonstrant. *Satis de domibus,* Lipsius ergo dicit, *ad Villas eamus. Vitnam, vitnam!* Sed haec pericula et latrocinia, domo et urbe nos claudunt. *O IScanum meum, cur non libere te fruor et interrujo?* Cur natali illo aere et aquis non me recreo? Da Deus hoc ante obitum, et pedem atque antimum vagam per rura et hortos illos ferre. In magnit. Rom. Lib. III. Cap. XIII. Plinius quoque Zosimum, libertum, mittit ad praedium amici sui, ut fruarur aquis, fontibus, agro, villa amoenissima, ad sanitatem recuperandam, hoc modo Paulino scribens: *Qua ex cauffa destinavi eum mittere in praedia tua, qua Foronii possides.* Audiui enim te saepe referentem esse ibi, et aera salubrem, et lac hutusmodi curationibus accommodatissimum. Plin. in Epist. 49. Lib. V. cum Comment. Io. Mariae Catanaei. Quaenam vero est ratio, cur nos rura petamus relista urbe? Aer purus in urbis properæ aedes altas rarus, in aedibus agri surisque magis confuetus.

### §. VI.



7

## §. VI.

Damnum ex tempestatis.

Tempeſtatibus, turbinibus nec non imbribus domus altiores magis sunt expositae prae aliis, quae nimiam altitudinem non attingunt. Quo altius domicilium, eo ruinae proprius. Et quanquam, quod non semper turbinem sequatur ruina, concedimus; tamen multum exinde danni capit domus altius surgens, in primis in teſto, quod facile orta et furente tempeſtate concuſsum, lateribus ſiffiſque lapidibus diſiectis poſſessori multum ſumtu in reaſſedicando conſumere parat. Sed quid opus eſt longe damna enumerare, quae ubique proh dolor! obvia ſunt? Procerar arbor fauenientibus procellis frangitur, vel eradicatur, vel certe tamen fructibus concurru priuata in terram inclinans iacturam facit. Applices ad altitudinem et inde damnum intelliges.

Saepius ventis agitatur ingens

Pinus: et celsae grauiore caſiſ

Decidunt turres, feriuntque ſummos

Fulmina montes.

Hor. Carm. Lib. II. Ode X.

## §. VII.

Ex terrae motibus.

Damnum deinde oritur terrae motu, quippe quae conuulſa motu nobis terrorem non sine cauſa iniicit. Urbes collapſae, in primis nocturno terrae motu: quo improuisor grauior que peſtis eſt. Neque ſolitum in tali caſu effugium ſubuenit, in aperta prorumpendi, quia deducit terris hauriuntur. Sedent immensi montes; viſa in arduo, quae plana fuerunt; qua ratione Tacitus terrae motum Afiae deſcribit Lib. II. Annal. Cap. 47. quamque narrationem conſirmat Strabo Lib. XII. Καὶ τὰ περὶ Σιπύλων δὲ καὶ τὴν αὐτορεπήν αὐτὸς, εἴδε μὲν τὸ θεόθεα. Καὶ γὰς καὶ τὴν Μαργυρίαν τὴν υπὸ αὐτῷ κατέβαλον σειροι. Ήνίκα καὶ Σάρδεας καὶ τῶν ἀλλων τὰς ἐπιφανεσάτας κατὰ πολλὰ μέρη διελυμένato. Επανάρχωσε δὲ ὁ γῆγενον χειμάτα ἐπιδεῖς καθάπερ καὶ πρότερον ἐπὶ τῆς γενομένης συμφορᾶς Τεραλίσσοντος, ηγίας τὸν γηνάσιον περιάλλος μέρη συνέπεσεν, ὃ παταρεῖ αὐτὸς καὶ τέτοιος καὶ λαοδικεῦσιν. Et quae de Sipyllo acque eius ſubuertione dicuntur, non oportet ad fabulam reffiri.



ferri. Nam et nunc Magnesiam, quae sub ipso est, terrae motus deicerunt. Quando et Sardes et alias illustres urbium, pluribus locis destruxit. Reparavit vero Princeps, pecuniam donauit; quemadmodum etiam ante in simili clade Trallianis; quum gymnasium et aliae partes corruissent, pater eius et Laodicenit subuenierat. Suetonius quoque Tiberii munificentiam nimis parcum carpendo. Ne provincias quidem vila liberalitate subleuauit; excepta Asia diiectis terrae motu ciuitatibus, in Tiberio Cap. 48. Et hoc exemplo nostra assertio ex verbis Taciti aperte confirmare videtur. Immensos montes, quo merito referuntur altiores domus, sedisse, visa in arduo, quae plana, quo pertinent aedificia parua, fuerint, narrat Tacitus. Domus alius surgentes, iactis fundamentis inde facile delapsae concussa terra atque tremente, ruinae obnoxias esse, natura rerum docet. Plinius hanc rem reddit clariorem, hoc modo Vesuui flammam euidente terrae motum describens: crebris vastisque tremoribus testa nutabant, et quasi emota sedibus suis nunc, nunc illuc abire aut referri videbantur. In Ep. XVI. Lib. VI. Probat ipsa historia recentissima, in locis montanis, patria mea exoptatissima, maxima damna cepisse templo aliqua aedificia altiora. Nolo praeterea relationes ex regionibus Americae reperere, in quibus ab Imperantibus, ne aedes positis fundamentis et alte extreundae sint, cautum est.

### §. VIII.

*Ex fulgetris.*

Haec damna ac incommoda, ex altitudine aedificiorum redundantia, modo breuibus verbis allata atque explicata, vitia, quae plerumque committuntur, ad oculum demonstrant. Sed quae faciunt domicilia, nota et facilis intellectu sunt. Nunc vero ad damnum graue altioribus aedibus instans, quod difficilius modo perspicere potest, progredimur. Tonitru aut potius fulmina et fulgura nocent aedibus ad modum excelsis. Ut vero incommoda aut potius clades innorescant, ut discrimen inter aedificia constituamus, necesse est. Aedes scilicet alta turri ornata, cuius cacumen interdum non spatio magno distat a nubibus fulminibus refertis, deducit, aut, ut acutiori voce vitat, elicit fulmina ad se, magno tamen detimento ac terrore hominum, de quo Virgilii canit Lib. I. Georg.

*Ipsæ*

150008 Ipse pater, media nimborum nocte, corusca  
fulmina molitur dextra: quo maxima motu  
Terra tremit, fugere ferat, et mortalia corda.

Per gentes humuis stravit pavor. —

Turres altas fulguribus maxime expositas esse, experientia, optima magistra, docet, vt ne vnu quidem annus praetereat, quo non turres etiam in Saxonia feriantur fulmine. Etsi quidem turres deducere fulgura, vel potius materiam aetheream, priusquam ip fulmina prorupit, non negemus; tamen etiam hoc negari non potest, nostras turres, solito more exstructas, magis fulmina excitare quam deducere. Aedificatio nempe turris ita est instituenda, si nocere non debet, vt quidem fiat alta, ex materia vero lapidea exstructa, et a summo cacumine ad imum usque ferreas conductoribus, ut physici loqui amant, praedita; cum conductores, solum attingentes, materiam electricam, deductam in terram, dissipent. Qua ex caussa nihil conuenientius est turribus, quam remoto ab aliis aedificiis. Omnibus enim remotis, aedibus et hominibus, efficiunt turres, vt rarissime fulmina erumpant, et officiant. Sed quia in nostris regionibus sunt eiusmodi turres perquam rarae, accidit, vt saepe altitudo consuetarum multum paret detrimentum. Quod vero de turribus altioribus statuimus, id de aedificiis, quorum fastigium in altum surgit, pari ratione contendimus, tamen hoc discriminine, vt turres tantum propter cacumina nimis procul noceant; aedificia autem non ob altitudinem solum, sed etiam ob exhalationem et vapores copiosiores, idem damnum pariant habitatoribus. Quo enim altiora aedificia, eo maiores exhalationes et vapores, quos tam multitudo hominum ea habitantium, quam alia fumantia corpora comparant. Arboribus, apprime querubus, tiliis, nucibusque omnes Physici, columnas vaporas (quasi ex collectis sensim vaporibus aut exhalationibus assurgentibus et altiora petentes) deducentes allicientesque fulgura, adscribunt: pari iure dominibus excelsioribus multis exhalationibus refertis eiusmodi columnas attribuiuntur. Demonstratis columnis vaporis per exhalationes effectis, demonstrata quoque est nostra sententia, quod scilicet domicilia ob altitudinem et exhalationem fulminibus sint faepissime obnoxia. Caelo enim tonante, mittuntur fulmina secundum Physicos eruditos per exhalationes ad terram, quod etiam nobis declarat, cur arbores fulguribus feriantur. Cuius caussa est exhalatio fulminis



nis naturae conuenientissima. Sic nocent aedes vrbis altiores, sic nocere possunt ruris aedificia; et si non ad altitudinem urbanorum aedificiorum attingunt, ob nimias exhalationes. Villa, arboribus plerumque circumsepta, est periculo fulminis subiecta. Stabulum, iumentis ovibusque repletum et referum, dat exhalationes fulgura excitantes. Exemplo esse potest noxa pagi vicini, quatuor abhinc annis a fulgetris accepta, vbi stabula angustiora, in altum tamen surgentia, tantam pecorum copiam exceperint, ut vix capi possent. Quo facto exhalationes, densissimae columnam vaporarum efficienes, in ruinam incolarum fulmina deduxissent. Hinc consilia, a Physicis tradita minime spernenda, quibus praescribunt modum praesertim vicos pagisque aptissimum, aedificia magis amplificandi, quam in altum exstruendi, longe remotis arboribus a villis aedibusque.

Noli vero, Lector Beneuale, ex his disputatis concludere, quasi ego manum Dei a fulguribus remouerem. Ego potentiam, sapientiam ac benignitatem Numinis summi ex fulminibus agnosco, praedicando ac celebrando, concursum, vt Theologi et Philosophi dicunt, diuinum, in tonitru non nego, sed potius affirmo et firmissimis rationibus exinde deduco: hac tamen limitatione, ut tonitru maneat effectum naturae, ad quod Deus praecipue concurrit, eoque virtut tanquam naturali puniendo instrumento. Liber ergo sum a praejudicio, ac si tonitru nos ferire posset, quoquaque loco essemus. Sicut imbres, grandines, aliaque effecta naturae, nobis noxia, evitare licet, quid? quod, non modo licet, sed iuris naturae est: Sic pari modo fulmina arcere aut potius declinare culibet licitum est; cuiusmodi plurima et egregia recens exempla fulminis auertendi Franklinus dedit.

#### S. VIII.

##### *Ex incendiis.*

Fulmina, altiores aedes pertentia, iusto ordine nos ducunt ad incendia saepissime ex iis orta. In incendiis maximum vario modo damnum ex proceris aedificiis capimus. Quibus incensis interdum tota vrbis flammis perit.

*Urbem ingens flamma, et muros inuaserat ALTOS.*

*Fumabar ruptis miseri patris Ardea tellis,*

*Et*



II

*Et tota in cinerem vergebatur, et astra fauillae  
Altinolae implebant, nec ipse plus vila salutis:*

Maphaeus in Supp. ad Virg. Aeneid.

Domus, cuius fastigium prae aliis ad astra ascendit, a flammis correpta,  
euomit ignes ad adiacentes aedes. Incendia, plerumque vehementiori  
venti motu coniuncta, per altitudines aedium dissipantur, ita ut flammam  
cohibere nemo possit. Quis enim flammam ad caelum ascendentem ex-  
tinguere potest, nec attingentibus siphonibus, nec fabro lignario, sine  
vitae discrimine ingenti appropinquare valente, deficientibus ipsis scalis  
fatis longis, incendio resurgendo aptis? Aedes ardentes altiores toti  
ciuitati cladem minantur. Procerae turres, flammis fere consumtae, ad-  
huc collabendo omnia propius adiacentia incendunt. Quis vero damna  
exinde nota commemorari potest? In eiusmodi incendiis omni fere au-  
xilio destituti incolas quaerentes:

*Extemplo concusi animos, turbataque ciues*

*Pectora caedentes miserandaे sortis, iniquum*

*Desfabant casum, longoque ex ordine matres,*

*Atque auidos totis fugiebant viribus ignes.*

*Ac velut cum nigra cohors posuere sub alta*

*Arbore, et in fixa radice cubilia longo*

*Formicæ instantes operi, si dura securis*

*Incumbat, versoque infringunt culmine parvas*

*Saeua casas, mox certatum sese agmine sparso*

*Corripiunt, moeſaque fuga trepidaque feruntur.*

*Et velut ignitum testudo euerfa calorem*

*Cum senserit, lucet a diu pedibusque renitens*

*Caudam, agitansque caput magna vi cedere tentat,*

*Aestuat et multo infidias conamine miscerat.*

*Haud aliter miseri per tanta pericula ciues*

*Iactabant sese, et turbata mente ferabant.*

Maphaeus ad Virg. Aen. in suppl.

§. X.

*Ex obsidione in bello.*

Tanta contrahunt damna aedificia, quae modicum altitudinis gra-  
dum excedunt, in incendiis, ut vix ac ne vix quidem enumerari queant,



ac quae posteri saeculis post multis sentiunt. Sed haec incendia longe maiora euadunt in obſidionibus, ex quibus etiam maiora fluunt damna. Hostis, impetum ad urbem faciens, multis copiis ciuitate circumdata, ita ut nullus obſessis locus elabendus detur, globis ignitis atque tormentis frage animis mortalium terrorē iniiciente, alios maximē petit aedes. Hinc tristissima urbium in obſessione ab igne furente incenſarum exempla in omnibus Europae ferme regionibus proſtant. Vrbes excellētissimae, vrbes antiquitatem praeſe ferentes, vrbes amplissimae et propter facta praeципua memoria dignissimae, ſaeuentibus tormentis igni- uomis, in cinerem commutatae nobis euidentiſſime noxam altitudinis de- monſtrant. In primis disciplina militaris hodie vſitata, in includendis ciuitatibus castellisque nos reddere debeat ac possit cautores in exſtru- endis aedificiis, quae ſplendorem decorumque urbis augent, aut potius augere videntur, ſed ſimil irreparabilia pariunt damna. Hostis enim excidium urbis appetens, incensis tantum per paucis aedificiis altioribus, iam ruinam torius oppidi parauit. Repete enim modo, quod ante de- monſtratum eſt §. anteced. et videbis, quam noxia ſint domicilia, quea decoris ergo, quaſi arbores proceræ, nubes tangunt. Testimonia noli a nobis expectare e veteribus monumentis; alia hodierna erat ratio bel- landi et obſidendi oppida in priscis temporibus. Satis nobis eſt, quod teſtes, proh dolor! quam plurimi recentiſſimae aetatis proſtent.

### §. XI.

*ex ſummi profuſione.*

Vitium vltimum, quod plerunque committitur in aedificandis domiciliis, et quidem in priuatis praecipue, conſiftit in ſumribus et impensis nimis profuſis, quae magis aedificatoris opes minuant, quam augent. Aedificatio hac ex ratione ſucepta, vt alii antecellantur, ipſi- que apud indigenas ac exteris extollantur, merito reprehendenda eſt. Eſi quidem aedificia permagna, fastigio alto praedita, variisque pre- tiosis atque picturis ornata, multum decoris ſplendorisque exhibere, non inficiat imus: tamen omnibus rite ponderatis haec cuncta euaneſcunt. In aedificatione tam ſplendida oritur noxa quam maxima, quam poſte- ritas interdum quoque breue tempus maniſteſtar. Aedes, multis iu- merisque ſumribus exſtructae, breui venduntur preto viſiſſimo. Multa millia imperialium in aedificando et in altum exſtruendo consumuntur;

ac

ac non pars dimidiata, sed pauca, immo paucissima millia, saepe et iam centum in venditione acipiuntur. Qui ita extruunt aedificia, merito verbis Sallustii carpuntur, hoc modo vitium aedificandi reprehendentis: *Domum aut villam exstruere, eamque signis, aulaeis, aliisque operibus exornare, et omnia potius quam semet, visenendum efficer; id est, non diutias decori haberí, sed ipsum illis flagitio esse.* Sallust, in Orat. I. ad Caes. de Republ. Ordin. Quocum confernit Epictetus: μὴ πναξί, καὶ γραφαῖς τὴν σίκιαν τε περιβαλλε, ἀλλὰ σωφροσύνη κατάγειαφε. τὸ μὲν γέρε ἀλλοῖο, καὶ τὸν οὐδαλμὸν εἰν<sup>c</sup> ἐπίκιος γοντεα. τὸ δὲ σύμφυτον καὶ ανεξάλειπτον, καὶ αἵδιος σίκιας πόσμος. *Noli tabulis pictis domum tuam circumducere, sed temperantiae picturam exorna: illud enim alienum, et incunda oculorum captio; hoc vero ingenuum, indeleibilem et aeternum donum tuae addit ornatum.* Hoc vitium, testimonii gentium evidenter confirmatum, ut plenius exponamus, necesse est. Ipse aedificator, his splendidis et prae aliis altioribus aedificiis delectans, facultates suas, quas utiliori modo impendere posset, dissipat, ita, ut tandem ipse dannum, deficientibus opibus, cognoscatur, atque tamen sero perspiciat. Multi quidem sunt, qui diutias abundant et argenti pondera possident, his ergo facile splendide aedificare licere videtur; sed acutum iudicium adhibito saepe inuenitur, illos non propter commoditatem, sed propter gloriam tam splendidis aedificiis comparare sibi studere. Quibus rebus superbiam, fastum ac elatum animum produnt. Quo facto vitium morale deducitur. Sed virtus moralibus non immoratur, ut virtutis physico-politicis. Plurimi aedificatores, quod in aprico est, sibi pendram contrahunt, ut saepe splendidissima aedificia, cum palatiis regum de principatu certantia, habitantes, miseram vitam et inopem degant. Vnde tam multae desertiones splendidiarum aedium ab iis, qui bonis, ut loqui solemus, cedunt. Mercatores non semper ob mercis iacturam, naufragiaque omnia deserere coguntur; sed saepissime ob libidinem luxuriamque in aedificandis domiciliis praediisque manifestantur. Eiusmodi desertores non sibi meti solum, sed posteris et multis

B 3

<sup>c)</sup> alii legunt ἐπίκιος, alii ἐπίκιες, quibus posterioribus absunt; propterea quod opposita exinde magis elucent, vid. Praeceptoris mei, intra partes priuatos doctrina amplissima copia-

que librorum mihi succurrentis, ac omnipotenti cultu prosequendi, Venerandi fenis Trilleri Obs. Critt. Lib. III. cap. XXVII. p. 79 sqq.



multis aliis ob aes alienum, et quod inde sequitur, toti reipublicae nocent. Nil luxuria, ab mercatoribus in exstruendis aedibus exercita, magis noxiun est commercio, ut vtamur terminis consuetis, publico. Sed non in eo solum sumus, vt damna hinc orta, declaremus, verum etiam, vt nostram sententiam ab obiectione saepe prolatâ, vindicemus. Multis iisque bene de statu politico edictis persuasum est, aedificatores multa commoda, in primis egenis atque miseris, mercedem pro laboribus distribuendo parere. Quibus concessis labefactaretur assertum nostrum antea demonstratum. Sed fallacia, vt logicis terminis exprimam, caussae non caussae committitur. Quod fit per accidens, id non sit per se. Aedificatores multi, immo omnes non hac ex caussa aedificant excelsas aedes, vt miseris succurrant, sed sese extollant. Praeterea bene notandum est, alia ratione miseris egenisque opem ferri posse. Aedificate, sed non ita splendide, vt domicilia priuata cum regis palatiis commutari possint. Aedificate, non vero tantum vnam domum, arcis Principis similem, sed aedificate multas, vt vrbes omnes bello praeterito in cinerem redactae, erigantur. Impendite opes ad colendam terram, et succurrите pauperibus agricolis pectinia; quo enim modo omnibus simul ac toti reipublicae maximum emolumentum est comparatum.

### §. XII.

*Obiectiones refutantur. 1) ab commoditate ex aliis aedificiis.*

Haec sunt damna praecipua, quae in aedificandis aedibus apparent, ex quibusque tanta incommoda ac mala deriuantur, vt omnia recensere scopus noster prohibeat. At multi tamen, qui vel ipsi aedificia cacuminibus tam excelsis exornant, qui vel aedibus prae aliis eminentibus delestantur, varia obiicere nobis, contrarium defendantibus, conabuntur. Sed vt his obiectionibus satisfaciamus, vt easdem enumeremus, necesse est. Plurimi hac assertione *opportunitati aedificiorum derogari* opinantur. Opportunitas autem est, quam *commoditatem* dicere solemus, qui affectione aedificia ita sunt disponenda, vt multae variaeque facultates, aliqua vrensilia in uno domicilio ordine conuenienti atque naturali conseruentur. Ditiones opulentioresque, qui multam suppellestilem possident, magnas aedes postulant, quae varia capere possunt, vt omnia ad manus et in promptu habeant. Postulant

stulant ergo cameras, contignationes plurimas, fornices aliaque receptacula, quae sibi aedificiis altioribus comparare putant. Sed, vt nos opinamur, sublate altitudine, non tollitur opportunitas aut commoditas. Qui plura possident, quae domus minor non capit, amplificent domus, aut duas coniungant, inde opportunitas euader eadem. Qui pauca possider, illi domicilium paruum sufficiat. Pauca enim possidere, et aedificia permagna habitare, nobis inconueniens videtur. Magnitudines earum villarum, Vitruvius ait, ad modum agri copiasque fructuum comparantur. Chortes magnitudinesque earum ad pecorum numerum atque quot inga bovm opus fuerit, ibi versari, ita finiantur. Lib. VI. Cap. IX. Sic Vitruvius, Architecton subtilissimus, de villis: sic nos de omnibus aedificiis statuimus. Quilibet habita rerum familiarium ratione aedificet. In primis vilitati, sine noxa perceptae, in aedificio studendum est. Vtilitas vero non consistit in opportunitate et commoditate hac fidititia, sed in dispositione prudenti, ratione loci et opum, aut secundum Vitruvium Lib. I. Cap. III. Vtilitatis erit habita ratio emendata et sine impeditione, vnu locorum, dispositio, et ad regiones sui cuiusque generis apta et commoda distributio. Nonne vero impedit lux his aedificiis excelsis? Nonne intercipitur aer sanitati conuentissimus? Nonne visus loci aut regionis tollitur?

### S. XIII.

2) Ab splendore et prospectu in longinquum.

Obiectione prima feliciter satisque refutata, ad alteram, multam speciem prae se ferentem, vt progrediatur necesse est: Splendidis aedificia, quorum cacumina ad astra ascendunt, quorumque fastigia in altum surgentia in remotissimis locis oculo, vt dicunt, armato aspicuntur, ex quibus etiam ipsi habitantes in distitas regiones oculos dirigere possunt, multam venustatem decorumque tam Principi quam provincias afferendo, aedificatores celebrando, sunt ornamenta in Republica necessaria. Sic dissentientes, qui spreta vilitate, damnis contemtis, externa specie falluntur. Sed respondeamus triplici modo: Aedificia alta in oculos hominum eminus versantium incurront. Ergo sunt vilia, ergo laudanda. Invertimus argumentum. Aedificia eminus apparentia damnum pariunt non spernendum, belli nempe tempore, quo visis altioribus aedificiis hostis ad urbem magis allicitur, et e longino



ginquo in loco tutissimo obsecros maxima clade per tormenta longius  
cladem inferentia afficere potest. Sed instant: Ex altioribus aedificiis  
turribusque aduersarium procul absentem aspicere, eiusque copiis at-  
que natura loci castrorumque perspecta et peruestigata ipsum obsecro  
repellere possunt. At vna turris secundum §. VII. exstructa ad hostes  
perscrutandos sufficit; non opus est, ut multa domicilia priuata hac ex  
causa aedificantur. Neque vero prospectus amplissimus in remotissima loca, sed prospectus variis obiectis impletus, oculos satis dele-  
bat. Et quod attinet ad tertium, quod scilicet splendorem Principis  
Prouinciaeque aedificia alta augeant, breui respondemus. Splendida  
aedificia, splendida damna. Tandem venustas non confundenda est  
cum specie externa, ab altitudine desumpta. Venustatis notionem aliam  
dat Vitruvius Lib. I. cap. III. *Venustatis vero erit habita ratio, cum fuerit operis species grata et elegans, membrorumque commensus iustas habeat symmetriarum rationes.* Vbi legitur de altitudine? Species grata et elegans esse potest in minimis aedificiis; membrorum commensus iustas habere potest symmetriarum rationes sine altitudine tali, ex quali tanta  
damna originem ducunt. Et ut yno verbo respondeamus: Positis his  
obiectionibus, sed non concessis: manet tamen regula a Philosophis ini-  
ciatissime demonstrata: *E plurimis malis minimum est eligendum.*



Wittenberg, Diss., 1770-73  
X 2283235





18  
1771 2

DE  
D A M N I S  
EX  
NIMIA AEDIFICIORVM ALTITVDINE  
METVENDIS  
COMMENTATIO PRIMA  
Q V A M  
P R A E S I D E  
IOANNE DANIELE TITIO  
PHYS. PROF. ORDINAR.  
DIE XXX. AVGVSTI MDCCCLXXI  
PROPONIT  
AVCTOR ET RESPONDENS  
M. AVGVSTVS SIEGISMVNDVS KRAVSE  
SS. THEOL. CVLT.  
VITEMBERGAE  
LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIT  
ACADEMIAE A TYPIS.